UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpvs Doctrinæ Christianæ

Melanchthon, Philipp

Lipsiæ, 1572

VD16 M 2890

Partes Definitionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Visual Library

ſed tamen aliquorum operum cauſſam conſpici Deus voluit, videlicet præcipuorum. Certiſsimum eſt, Angelos & homines conditos eſſe, vt eſſent aliquæ naturæ, quibus ſuam ſapientiam, iuſticiam, & cæteras virtutes, & lætitiam æternam communicaret, quia bonum eſt communicatiuum ſui, ac ut viciſsim agnoſceretur ipſe. Transfudit igitur in mentem humanam ſapientiam congruentem cum ſua mente, ut in nobis teſtimonium extet, quod ſit Deus, qualis ſit, & quod ſit iudex. In hoc opere non eſt obſcurum conſilium Dei. NEC vero quærendæ ſunt omnium cauſſæ, & reuerenter Deo obtemperandum eſt. Angelorum agmina ſimul condidit, nec eſt in ea natura propagatio. Homines aliter condidit, voluit eſſe propagationem à paucis. Et tamen duos condidit initio, quia ſemper vult Eccleſiam ſocietatem eſſe. Et uoluit in his lucere intellectum virtutum, iuſticiæ, veritatis, caſtitatis, beneficentiæ, & aliarum, quia his noticijs vult diſcerni naturam diuinam à naturis iniuſtis & immundis. Non enim amplectimur Deum brachijs corporis, ſed mente & fide intuendus eſt in inuocatione, & harum virtutum attributione diſcernendus ab alijs rebus, & intuenda ſunt teſtimonia patefactionis, &c. FACIT autem illuſtre diſcrimen Caſtitas, quia Diaboli & homines ſunt immundi. Ac vt diſcernas Deum à Diabolis, ſemper in inuocatione cogites, te alloqui caſtum Deum. SANXIT igitur ordinem, & vagas libidines prohibuit, & ſeueriſsime punit, & vult homines noſſe, & reuerenter tueri certas leges coniugij ab ipſo traditas, quarum primæ ſtatim in Paradiſo editæ ſunt. PRIOR, vt ſit coniugium copulatio vnius maris & vnius feminæ indiſſolubilis: Erunt duo in carnem vnam, id eſt, vnus mas, & vna femina inſeparabiliter iuncti. In hac voce manifeſtum eſt omnes vagas libidines prohibitas eſſe. Altera de inceſtis: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. Poſtea de inceſtis & aliæ leges voce diuina additæ ſunt. EST ergo Coniugium legitima & indiſſolubilis copulatio vnius maris & vnius feminæ, inſtituta diuinitus, ut agnoſcamus, Deum eſſe mentem caſtam, & ei in caſtitate ſeruiamus, & hoc modo propagato genere humano colligatur æterna Eccleſia Deo. Et quidem Eccleſiæ initium fuit illa prima ſocietas duorum coniugum.

PARTES DEFINITIONIS.

PRIMVM in definitione poſita eſt particula, legitima copulatio, quæ reſtrictiones quatuor complectitur, de quibus loquuntur leges diuinæ, ac deinde humanæ, quarum vera eſt & digna reuerentia autoritas, ſcilicet de perſonis, de conſenſu, de conditionibus, & de errore.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN